DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALBERTUS PARRY MOSS,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED EDIN. SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

" ——— *Non lingua valet, non corpore notæ*
" *Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.*"

VIRG.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO CLARISSIMO,

THOMÆ CAROLO HOPE, M. D.

IN ACADEMIA EDINENSI

SCIENTIÆ CHEMIÆ

PROFESSORI;

OB BENEFICIA

IN EUM COLLATA;

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

ARGUMENTUM,

OFFERT

AUCTOR.

ITEMQUE,

VIRIS SPECTATISSIMIS,

JOANNI LYON, M. D.

NOSOCOMII PUBLICI QUOD

APUD *LIVERPOOL* EST

CHIRURGO PRIMARIO,

&c. &c. &c.

PROPTER BENEFICIA PLURIMA

CONSILIAQUE PRIVATA

BENIGNE OBLATA;

ET

JOANNI HEWSON, M. D.

APUD *MIDDLEWICH*,

IN PROVINCIA *CESTRENSI*,

VIRO OMNI VITÆ ELEGANTIA ORNATO;

HOC TENTAMEN,

IN AMICITIÆ GRATIQUE ANIMI

INDICIUM,

CONSECRAT

A. P. MOSS.

DENIQUE,

PATRI SUO CHARISSIMO,

DANIELI MOSS, M.D.

SOCIET. REG. PHYS. ED. SOC. HON.
&c. &c. &c.

APUD *RIGODUNUM*, IN COMITATU *LANCASTRIENSI*,

MEDICINAM FELICITER FACIENTI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE,

D. D. DQUE

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

Auctore ALBERTO PARRY MOSS.

PROŒMIUM.

MORBORUM haud paucorum pathologia, quibus genus humanum vexatur, adeò in atra caligine immergitur, ut etsi medicina plurimis incrementis aucta sit, tamen usque ad hoc ævum novissimum, nimis frequenter occurrunt exempla, in quibus, etiam peritissimè adhibita, nequidquàm valet. Artes, scientiæque complures, summo ferè fastigio frui

A videntur:

videntur: Medicina atqui, quanquam annis recentioribus magnoperè locupletata, omnium tamen aliarum, maximè deficit. Cùm verò in memoriâ, œconomiæ animalis arcana, chemiâ hodiernâ, in apertum prolata, tenemus, nobis forsitan detur, spem jucundissimam fovere, hanc præ omnibus ad hominum felicitatem spectantem, nomen haud aliis scientiis inferius, brevitèr assecuturam esse.

Augmen luxuriæ, ideòque morborum, medici conatus quàm maximè necessarios reddit.

E numero malorum intemperantiâ provenientium, fatalissimum selegi: quòd de hâc re aliquid novi offerrem minimè credens, (nullo enim in morbo nosologiæ clarior apparet causa, vel inter homines in arte medendi haud ignaros certior stat curatio), frequens verò, remediaque promptissimè postulat.

Mihi

Mihi ad hunc seligendum, altera quoque adfuit instigatio: Medicos ferè inter omnes in rure vitam ducentes (me judice) modus valet medendi, tum morbi pathologiæ, tum experientiæ, parùm congruus.

Ad Classem *NEUROSES* et Ordinem *COMATA*, celeberrimus relegavit CULLENUS, verbisque sequentibus Apoplexiam definivit: "Motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum sopore plùs minùsve profundo, superstite motu cordis et arteriarum."

HISTORIA MORBI.

APOPLEXIAM (a verbo Græco *αποπλησσω*, *percutio*, nominatam) varias in species varietatesque dividunt nosologi. Harum præcipuæ, *ſeroſa* et *ſanguinea* denominantur; de his

his itaque duabus medici frequentissimè opem quærentibus, tractare maximè in animo est.

Ex quo vixit HIPPOCRATES, de hoc morbo, theorias quàm diversissimas proposuerunt auctores. Antiquorum sententiæ (corporis anatomiâ tunc temporis parùm accuratè intellectâ) omninò hodiernis absurdæ videntur, vel etiam in nonnullis vix aut ne vix quidèm intelligi possunt.

HIPPOCRATES, inter cerebrum et glandulas, tum formam tum officium, analogiam intercedere habens, humores secretos e capite per meatus quosdam (qui tamen pro certo nequeunt inveniri) perfluere sibi persuasit. Hæc profluvia ad sanitatem cerebri tuendam necessaria illi apparuêre, et, eo judice, si unquam supprimerentur, impetus apoplexiæ haud rarò occurreret.

GALENUS, unà cum multis aliis, morbum de quo nunc agimus, ex pituitâ quâdam gelidâ

dâ viscidâque, cerebri ventriculos opprimente, vel in ætate provectiore, scilicèt ex quadraginta ad sexaginta annorum, humore melancholico, oriri affirmavit.

Ad hoc refutandum, laboravit FORNELIUS, qui vel compressionem vel obstructionem arteriarum cerebri, causam esse duxit: quâ, corde spiritu consueto privato, sensus motusque suspendi necesse est.

Hujusmodi fuerunt theoriæ ab hominibus celeberrimis propositæ, et priusquàm florebat HOFFMANNUS, opinio nulla verisimilis medicis promulgata fuerat.

Ille de hâc re scribens, Apoplexiam effusioni vel sanguinis vel seri refert, quæ substantiam teneram cerebri comprimens, secretionem et distributionem fluidi hujus subtilis per nervos, ad sensum motumque tàm necessarii, impedivit; quapropter actiones tùm

animales

animales tùm vitales, diminutæ, et denique omninò abolitæ sunt.

Huic theoriæ BOERHAAVE, VAN SWIETEN, aliique præclari, posteà faverunt: variæ tamen opiniones adhuc receptæ sunt; et equidem, ex obscuritate in quâ morborum plerique delitescunt, minimè mirandum, ut in hoc quàm in aliis affectibus morbidis, medici inter se tam valdè dissiderent. Licet itàque exclamare, in verbis VIRGILII,

"Felix qui potuit rerum cognoscere causas."

Multis in exemplis signa sequentia, scilicet, dolor capitis, vertigo, circa caput constrictionis sensus, somnolentia, memoriæ defectus, visus depravatus, palpebræ superioris lapsus, auditûs gravitas, tinnitus aurium, linguæ titubatio, epistaxis, incubus, et extremorum torpor, paroxysmum præcedunt. Adoritur tamen haud rarò, nullo præsente præmonito, cùm ægrotus, si erectus fuerit, derepentè quasi fulmine percussus, humi procumbit.

Sensus externi internique, unà cum actione musculorum involuntariorum, ferè omnes aboliti ; facies plerumque turgida, rubescit et aliquando colorem lividum assumit ; oculi prominentes et aliquatenus rubore suffusi sunt ; pupilla dilatatur vel motu convulsivo afficitur : ex ore sæpè prodit saliva spumosa : vasa capitis et colli nonnunquàm adeò sanguine implentur, ut ad distantiam ulnarum complurium, ille clarissimus MONRO SECUNDUS arteriarum carotidum pulsus planè conspexit ; latus paralysi minùs severè laborans motibus inordinatis haud rarò agitatur ; pulsus plerumque tardus, plenus, sæpè validus vel etiam in nonnullis intermittit ; respiratio difficilis et laboriosa fit et frequentèr stertore comitatur ; sæpè adest vomitus ; modò ischuria, modò incontinentia urinæ urget ; et fæces vel homine inscio elabuntur, vel alvus maximè astricta est.

Huic morbo, nisi subitò lethali, plerumque succedit Hemiplegia.

CADAVERUM SECTIONES.

Secto cadavere, quædam sequentium oculis semper obveniunt. Vasa cerebri et membranarum, capite inspecto, præter naturam impleri videntur; multum sæpè sanguinis vel seri inter duram et piam matrem, et præcipuè in ventriculis, observatur: hoc exhalatione auctâ, ille ex arteriarum rupturâ proveniente, quocircà de apoplexiâ sanguineâ et serosâ loquimur. Adsunt quoquè nonnunquàm aneurismata, ossificationes, tumores, hydatides, multis cum aliis.

Cavis thoracis et abdominis patefactis, pulmones plurimùm indurati et tuberculis sæpè vexati sunt; valvulæ cordis, vasa magna sanguinem vehentia, præsertìm aorta descendens, in multis exemplis formam induunt osseam;

stomachus

stomachus haud rarò immr...cè distenditur, et viscerum aliorum moles multùm augetur *.

DIAGNOSIS.

In hoc quidèm morbo, adeò perspicua sunt symptomata, ut in plerisque facilè dignosci possint.

Ex *Paralysi* (varietas tantùm habenda, altero in alterum sæpè mutato) discrepat, quòd hæc in partes quasdam corporis solummodò subit, et pulsu tardo mollique comitatur: in illâ, e contrario, totum afficitur corpus, et in somnum profundum, pulsu tardo, pleno, plerumque valido, illabitur æger.

* Vide Morgagni de Causis et Sedibus Morborum. Etiam

Baillie's *Morbid Anatomy*.

Motus absentes convulsivi, vel unum solùm latus affectum, inter hanc et *Epilepsiam* discrimen sat manifestum præbent.

Apoplexia ex *Syncope*, pulsu et faciei colore distinguitur; in hâc enim arteriæ micare recusant, facies albescit et oculi clauduntur; in illâ verò vibrant arteriæ, facies plerumque rubescit et turgida fit, et oculi semiaperti et immobiles perstant.

Apoplexiæ *ebrietatis*que signa adeò sunt invicèm similia, ut inter hæc discriminare, acerrimo sæpè opus est ingenio. Ebrietatem tamen, si liquores spirituosi vel halitu vel vomitu odorem edant, suspicari liceat. Hoc verò ex se ipso minimè sufficit, quoniam paroxysmus apoplecticus intemperantiæ haud rarò supervenit; idcirçò ad opinionem certiorem reddendam, oportet, ut investigemus de modo vitæ, in quo antehac se occupaverat, quibus signis primùm affectus fuerat, si subi-

tò,

tò, vel denique an ad ebrietatem incitandam sat liquoris bibisset.

Hæc et similia præcipuè observanda, alioquin errores haud minùs ægri saluti quàm medici famæ nocivi, occurrerent.

DE CAUSIS.

Inter causas quæ ad hunc morbum proclivitatem præbent, ætas quædam imprimìs enumeranda; paroxysmo ante annum quadragesimum rarò invadente.

Ad hoc explicandum, pauca valent verba.

Quoniam in juventute, ut magìs completæ sint arteriæ, ad corpus evolvendum necesse est, parietes venarum quàm arteriarum (ut planè demonstrant experimenta Baronetti clarissimi Clifton Wintringham) majore densitate præditæ sunt: ob quam causam, sanguis

guis non sine morâ in venas admissus, in arteriis uberiùs accumulatur. Summâ tamen acme corpore fruente, talis sanguinis distributio minimè valet, et arteriæ, earum actione et pressurâ, venas densitate viribusque demùm exsuperant, et jam sanguis in his, repugnantiâ devictâ, potiùs quàm in illis exuberare incipit, et plethoram, *venosam* dictam, inducit.

Observatu dignum est, quòd in venis extremorum, vel in iis quæ musculorum compressioni objiciuntur, numeræ interpositæ sunt valvulæ, ne sanguis regurgitaret agentes; mutuâ itaque ope musculorum et valvularum sanguis ad dextram cordis auriculam, multò faciliùs refluit. Venæ tamen cerebri, tum thoracis tum abdominis, (neglectis azygos et spermaticis), non sic se habent: sanguinem exindè in his magìs quàm in aliis corporis partibus abundare, satis in aprico est.

Caput magnum collumque breve, inter causas prædisponentes enumerantur; hoc velocitatem,

tem, illud copiam versus cerebrum permagnam sanguinis indicat: pulsus enim arteriarum quò minus ex corde distat, eò pro ratâ magìs fit validus; si itaque arteriæ carotidæ breviores fuerint, sanguis in vasa capitis impetu aucto propellitur.

Existimant nonnulli, collum breve in altero etiam modo hominem aptum reddere quem adoriatur hic morbus, viz. sanguinem ob breviorem ejus descensum perpendicularem in venas subclavianas, minùs ad impedimentum amovendum valere, quod cùm vasa angulis conveniunt semper in occursu est: de hoc verò nihil certi habemus.

Obesitas, quòd vasa exteriora comprimit, et sanguinem in interiora pressuræ minùs obnoxia repellit, paroxysmo apoplectico quàm maximè favet. Cùm verò proclivitas ex plethorâ præcipuè pendet, quæcunque igitur vel hanc vel illam inducant, (et cum obesitate plerumque coit plethora), inter causas prædisponentes

ponentes rectè collocantur; qualia liquores fermentati et spirituosi immodicè assumpti, cibi ex materiis * carneis, diæta generalis lautior, etiam vita sedentaria: hæc enim humores secretos et excretos, bilem præsertìm, et exhalationes quas effundunt arteriolæ in magna intestina, et alvi excretionem, imminuit.

His jam tractatis, summâ dignum observantiâ, alterum annectatur; nempè,

Inebrietas.

"Mr Is[l]. Worsley, in an interesting Account of his Travels and sufferings, recently published, remarks, that Apoplexies and sudden deaths are rarely heard of on the Continent, where (as he observes) vegetable food constitutes the principal portion of their sustenance: and that, on the contrary, in England, where more animal diet is devoured, than perhaps in any other country, Apoplexies and sudden deaths are notoriously frequent in their occurrence."

Monthly Magazine for June 1806.

Inebrietas.—Agit non solùm quòd plethoram promoveat, sed etiam quòd sanguinis versus caput circuitum adaugeat : nam corpore sæpè inebriato, demùm adeò fit debile, et functiones ejus variæ adeò læsæ sunt, ut sanguis in partes remotas minùs liberè transit : Vasa præthereà capitis nimis et crebrò distenta, frustrà reagere tentant ; circuitu itaque in hâc parte labascente, plenitudo et turgescentia vasorum cerebri necessariò aderint.

Omnia suprà dicta huic morbo proclivitatem maximè impertiunt. His tamen omninò abjectis, ex labe hæreditariâ originem ducat : cujus reddere rationem non satis in promptu est ; mihi equidem ex quâdam structurâ propriâ vasorum cerebri, circuitui inimica, pendere videtur : hoc verò demonstrare non possumus ; idcircò quasi conjectura solummodò habendum est.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES,

DUO in genera se resolvunt; in has quæ cordi et arteriis motum majorem reddunt, et sic impetum rivumque sanguinis ad caput adaugent; vel in illas quæ liberum ejus regressum per venas impediunt. Effectus similes utræque inducunt, et in paroxysmo apoplectico concitando, paritèr valent.

Causæ frequentiores sunt, nimia cibi ingurgitatio, exercitatio vehemens, usus *alcoholis* in variis ejus formis immoderatus, violentesque animi affectus. Quâ ratione harum prima morbum tam lethalem cieat, inter medicos multùm disputatum fuit. Alii habent, stomachum nimis repletum aortam descendentem comprimere, et inde, circuitu ad inferiora impedito, sanguinis ad vasa cerebri flumen augeri. Simul quoque habetur septi transversi descensui obstare, quo, pulmoni-

bus

bus minùs liberè explicatis, sanguis per eos difficiliùs transit, ejusque ex capite regressus plurimùm languescit.

Alii iterum in memoriâ tenentes stomachum repletum antrorsùm procedere, hanc theoriam penitùs rejecerunt, ejusque effectus ex stimulo subito, systemati nervoso, allàto, oriri credunt *.

Alii talem distentionem, plethorâ repentè inductâ, hunc morbum incitare volunt; hoc verò, si tempus, ad ciborum concoctionem perficiendam, necessarium consideretur, minimè credendum est.

De tribus aliis causis, agunt, ut patet, stimulum arteriis admovendo; quoniam verò, hæ actionem aliquatenùs inter se discrepant, de singulis pauca observare liceat.

* Audi GREGOR. Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

Exercitatio vehemens.—Ex quibus anteà dictis, viz. sanguinem per venas extremitatum ope musculorum faciliùs refluere, constat equidem, si motus augeatur muscularis, regressum ad cor, et hinc per arterias circuitum, multò celeriorem fieri. Sanguine jam ad cerebrum in quantitate insolitâ admisso, venisque pressurâ non succurrente, ruptura arteriarum, vel cerebri in vasis congestio, haud rarò eveniret. Pulmones etiam, corpore vehementer agitato, maximè opprimuntur.

Inebrietas.—Liquores spirituosi corpus potissimùm stimulant: arteriarum micationes crebrescunt, genusque nervosum in actionem auctam incitatur. Color faciei floridus, qui usum alcoholis comitatur, incursum sanguinis majorem ad vasa capitis demonstrat. Quò major sit copia in ventriculum accepta, eò validiores fuerint effectus. Liquore sumpto moderatè, imaginationes quàm jucundissimæ adsunt, fortis fit fortior, timidusque fortitudinem acquirit: sumpto immoderatè, vires

imminutæ

imminutæ sunt, loquela abnormis et turbata evenit, corpusque demùm universum sensu et motu omninò caret.

Affectus animi violentes.—Ira vel gaudium vehemens summo cum periculo sæpè consociatur, nec fatalia desunt exempla. Effectus minoris momenti quotidiè observandi sunt; hominem enim irâ tumentem vix ulla retinere vincula possunt: unde axioma, "Rege animum, qui nisi paret, imperat."

Hæ agunt affectiones, quòd systema totum nervosum, et hoc intercedente, cor et arterias excitant; his namque urgentibus, pulsus celerior et plenior fit, genæ florescunt, et vasa capitis et colli turgida sunt sanguine. "Ira (ait celeberrimus ille HOME, in ejus Medicinæ Principiis) fibras constringit, motum sanguinis accelerat, sanguinem ad superiora determinat, dolorem in scrobiculo cordis excitat, et spasmodicas stricturas in ventriculo, ductu choledocho et intestinis, concitat.

citat. Hinc larga salivæ copia, oris amarities, vomitus bilis, volvulus, apoplexia, phrenitis, febris." In iis igitur qui huic morbo proclives sint, tales affectus paroxysmum inducere queant.

Causæ aliæ de quibus nunc dicendum est, sunt, ligaturæ circa collum arctæ, caput demissum, studium acre, vices caloris frigorisque subitæ, inspiratio vel expiratio diuturna.—De his ordine.

Ligaturæ circa collum arctæ.—Cursu libero, sanguini e capite redeunti, negato, necesse est, ut vasa cerebri quàm maximè impleantur, etiamque in nonnullis exemplis usque ad rupturam ; collo prætereà ligato, trachea comprimitur, unde respiratio impedita, effectum jam memoratum plurimùm augebit.

Eodem ferè modo, agit, si breve sit collum, subita capitis detortio ; nam venæ jugulares in superficiem jacentes torquentur et

diametris

diametris imminuuntur, dum arteriæ carotidæ magìs in centrum motûs sitæ vix afficiuntur *.

Caput demissum.—Sanguinis circuitus, ut optimè innotuit, positurâ multùm et variè afficitur. In syncope (quæ plerumque ex inopiâ sanguinis in capitis vasis enascitur) status valet supinus; sanguis enim ut anteà non contra gravitatem profluens, ejusque per venas regressu modicè morato, in cerebro citò accumulatur, et ad actionem ejus solitam iterum excitat. Si verò caput se pronum habeat, et hoc in positu diù maneret, res omninò huic contraria accidit: quamvis enim cerebro sanguine privato, vires nervosæ deficiant, tamen vasis nimìs distentis, vertigo, dolor capitis, vel etiam mors ipsa, consequerentur.

In

* Vide Fothergill. Opera.

In tali corporis situ, sanguis non solùm per arterias majori flumine ad caput propellitur, sed etiam regressus ejus in cavam superiorem maximè impeditur.

Studium acre.—Novimus, cerebri energiam ex quantitate sanguinis debitâ arterialis pendere; animo igitur laborante, hanc nunc citiùs solito consumptam, continuò sustentari oportet; mihi itaque verisimile videtur, in studio acri, actionem arterialem in cerebro plurimùm intendi *.

Vices

"* L'énergie du cerveau paroît assez généralement en rapport avec la quantité de sang artériel qu'il reçoit. Je connois un littérateur qui dans la chaleur de la composition présente les symptômes évidens d'une sorte de fiévre cérébrale. La face est rouge et animée, les yeux étincelans; les carotides battent avec force, les veines jugulaires sont gonflées: tout indique que le sang se porte au cerveau avec une abondance

Vices caloris et frigoris subitæ.—Calor cordi et arteriis stimulus est: Sanguinis circuitus acceleratur, et inde halitus cuticularis magìs

---

bondance et une rapidité proportionnées à son degré d'excitement. Ce n'est même que dans cette espèce d'érection de l'organe cérébral que ses idées faciles coulent sans effort, et que son imagination féconde trace à son gré les plus rians tableaux. Rien ne favorise autant cet état que le coucher prolongé. Dans cette position horizontale, détermination des humeurs vers la tête est d'autant plus facile que les organes extérieurs dans un parfait repos, n'en détournent point le cours: il suffit pour l'etablir de fixer fortement son attention sur un objet. Le cerveau qui est probablement le siége de ce travail intellectuel, ne doit-il pas alors être considéré comme un centre de fluxion, et le stimulant mental ne peut-il pas être comparé, quant à ses effets, à tout autre stimulant chimique ou mécanique?

"Un jeune homme d'un tempérament sanguin, sujet aux fiévres inflammatoires qui toujours se terminent par un saignement de nez abondant, éprouve durant

gìs fit copiosus: si itaque corpus, rebus sic se habentibus, vel aëri frigido objiciatur, vel in frigidarium immergatur; perspiratio subitò cessat, sanguis in partes interiores repellitur, et versus vasa capitis humores determinantur.

Quod attinet ad calorem vel frigus intensum, alterutrum apoplexiam inducere queat: cùm hoc verò illi subitò succedit, plus adest periculi.

Inspiratio vel expiratio diuturna.—Sub finem cujusvis expirationis, sanguis per pulmones difficiliùs transit, quod equidem indicatur ex elevatione et depressione cerebri alternâ, quæ, parte calvariæ amotâ, eodem temporis puncto

---

durant les paroxismes une augmentation remarquable dans le force de son intelligence, et dans l'activité de son imagination."

Eléméns de Physiologie, par A. RICHERAND.

puncto cum respiratione perfici videntur *. Si itaque inspiratio vel expiratio plenior fiet, sanguis e capite, pro ratâ minùs liberè refluet: sic nisus violentes in cantu, loquelâ, flatu, vel iis in similibus, ruborem faciei, vertiginem vel etiam paroxysmum apoplecticum induxerunt.

An tendunt pulmones, in expiratione, ad sanguinem in sinistram cordis auriculam impellendum? Hoc quoque effectum inspirationis protractæ explicare possit.

Morbum hunc fatalem excitantia, cætera jam liceat enumerare; talia sunt, fracturæ cranii, aneurismata vel tumores in cerebri substantiâ

 reperti;

* RICHERAND equidem, motus cerebrales cum respiratione congruere, minimè concedit, ex pulsatione verò arteriarum in basi cerebri oriri et pulsui consonare, affirmat.

Vide caput "de Sensibus."

reperti: etiam ossificationes et anuerismata vasorum quæ sanguinem e capite deferunt: quicquid sanguinis cursum in aortâ descendente impedit: quævis affectio cordis, systole vel diastole regulari obstans; et denique apoplexiam (ut dicitur) inducant, substantiæ quæ nervorum mobilitatem resolvunt. Quales sunt acidum carbonicum; fumi hydrargyri, cerussæ, et aliorum metallorum: venena in stomachum recepta: frigus, concussio, electricitas, quædamque animi affectiones *.

DE CAUSA PROXIMA.

Nihilominus quòd varias de naturâ hujus morbi, auctores tùm antiqui tùm recentiores, theorias adduxerunt, vix dubitandum est, si dissectiones causasque remotas et excitantes aspiciamus,

* Vide Cullen.

aspiciamus, ex compressione cerebri et nervorum, (specie neglectâ illâ cujus sit ortus vis nervosæ immobilitas), inductâ plerumque vel a congestione in vasis prioris, vel ab effusione sanguinis vel seri in ejus cavitates, originem ducere. Plura de hâc re dare argumenta, omninò supervacuum fuerit. Hoc quàm maximè confirmavit experientia, casusque quotidiani ejus præstantiam et veritatem docent.

In Commentario, de Affectionibus Apoplecticis et Paralyticis, paucis annis elapsis, edito *, notiones equidem ab his alienæ sese offerunt : theoria verò HOFFMANNI quæ morbi effectus, cerebri compressioni (ut suprà observatum fuit) refert, fidei dignissima, et nunc medicis expertis plerumquè agnoscitur.

Notitia de causis proximis summi est momenti, et cui animus præcipuè dirigendus est.

Medicus

* Vide KIRKLAND.

Medicus enim tali duce carens, per tenebras semper incedit, et non nisi empiricus habendus. Ad hoc perficiendum, signis morborum studere oportet. Effectus remediorum quibus utimur, et eorum actionis ratio, hîc plurimùm prosunt, quippè quæ huic rei lucem permultam afferant; sic pro causâ apoplexiæ compressio mechanica rectè habetur, remediis enim mechanicis cedit.

Celeberrimus Professor GREGORY, in Prælectionibus ejus de Medicinæ Praxi in præstantissimâ hâc Academiâ, morbum hunc fatalem clarè explicavit, omnesque eas vagas hypotheses non solùm generi humano, sed etiam arti medicinæ nocentes, faustè evertit.

PROGNOSIS.

HUIC morbo, periculum ingens nunquam abest. Sedes, ejusque ad recursum proclivitas,

tas, opinionem quàm incertissimam reddunt. Quò gravior verò accessio, eò infaustior prognosis; et quoniam symptomata in omnibus non paritèr urgent, quarè alia aliis in timore magìs habenda sunt; sic, respiratione plurimùm oppressâ et stertore conjunctâ; deglutitione vel difficilè peractâ vel penitùs amissâ; potu per nares regurgitante et spumâ ex ore ejectâ: corpore tremoribus et convulsionibus vexato: sphincteribus resolutis; gelido erumpente sudore: vel denique, propriis remediis adhibitis *, morbus tamen vix relevatur; tunc equidem æger e vivis plerumque eripitur.

Respiratione, e contrario, minùs urgente; facie haud multùm decoloratâ; superveniente diarrhœâ vel profluviâ ullâ solitâ, uti fluxu hæmorrhoidali

* "Post sanguinis missionem si non redit et motus et mens, nihil spei superest; si redit, sanitas quoque prospicitur."

Celsus, lib. iii. cap. xxvii.

hæmorrhoidali, epistaxi, etc. redeunte, morbus aliquando felicitèr solvitur.

Prognosis forsan prosperior erit, si labes nulla hæreditaria causis excitantibus se conjungat: et denique observandum est, paroxysmum apoplecticum in primo suo incursu rarò lethalem esse; sed quò frequentiùs occurit, eò, pro ratâ, sequela magìs timenda est.

Apoplexia a venenis exoriens, morte plerumque terminatur.

PROPHYLAXIS.

Priusquam de curatione agitur, haud alienum in primo, pauca de prophylaxi adducere. Hoc equidem multùm interest. Morbus aliquandò tam subitò aggreditur, et ad eventum etiam infelicem tam subitò procedit, ut sæpè ægrotus, arte medicinæ nondum in auxilium

invocatâ,

invocatâ, animam expiraverit. Nonnulli verò ad hunc morbum proclives, si medici mandata strictè observârint, multis elabentibus annis, immò per totum vitæ decursum, immunes fuerunt.

Modus hic prophylacticus, causas prædisponentes, excitantes, præcipuè priores, evitando consistit. Quæcunque igitur plethoram inducant omninò prohibentur: inde diæta parca, minùs nutriens, è vegetabilibus potiùs quàm carne confecta, indicatur.

Liquores spirituosos præ omnibus vitare oportet. Cùm verò homines his stimulis diu usi fuerint, eorum moles paulatìm et parcâ manu minuenda est; corpus enim ullius subitæ mutationis fit impatiens, et his citò amotis marcessit, debilitatur.

Ne urgeat constipatio plurimùm cavendum est: et alvus astricta, catharticis idoneis solvenda est.

Somnus

Somnus nimius, quòd plethoram inducit, semper nocet.

Nil, forsan, ad hunc morbum præveniendum, magìs quàm exercitatio valet: si modò leni comitatur perspiratione, nec corpore nimis calefacto, nec respiratione anxiâ evidente. Exercitationes vehementes, præcipuè si adsit obesitas, ob violentam humorum agitationem, calorem intensum, et subitum refrigerium, periculo associantur. Leniores itaque, ut vectura in rhedâ, ambulatio et equitatio, in usum rectiùs adhibeantur.

Setacea quoque vel fontanellæ circa caput vel collum, plenitudini vasorum in his partibus obstantia, multùm conveniunt.

Si verò his omnibus observatis, paroxysmus tamen apoplecticus, signis quæ morbum antecedunt, jamjam minitetur, sanguinis e-

missio

missio vel ex arteriâ temporali, vel venâ jugulari *, quàm maximè prodest.

An compressio arteriarum carotidum ?

Si symptomata quæ impetum denunciunt minùs sint severa, brachio venæsectio, hirudines temporibus, vel cucurbitulæ cruentæ occipiti, imprimìs admovendæ sunt; si verò maximè urgeant symptomata, sanguinis emissio e capite, ut suprà memoravimus, his semper anteponenda est.

E Omnibus

* "Solent chirurgorum non pauci quando venas jugulares secare jubentur, injecto collo vinculo, sanguinis e capite reditum retardare, ut venæ intumescant. Sed hoc capitis morbis nocumento est. Curandum igitur, omisso vinculo, ut manu paulò supra claviculam posita, et capite posteriùs reclinato, vena jugularis comprimatur; sic enim intumescet sola, et apta ſectioni fiet, quin caput quidquam mali patiatur."

BURSERIUS, vol. iii. p. 23.

Omnibus remediis prophylacticis usu dignis, jam recensitis, ad curationem procedere liceat.

MODUS MEDENDI.

In hoc, ut in omnibus aliis morbis, ratio medelæ e causâ proximâ deducenda est. Animo igitur persuaso, apoplexiam vel a congestione sanguinis in vasis cerebri, vel extravasatione sanguinis vel seri in ejus cavitates, oriri, primum et præcipuum erit, vel arteriam temporalem vel venam jugularem secare, et sanguinem pro signis viribusque ægroti detrahere.

Corpus in positurâ quasi erectâ collocandum est; et ne nimis urgeat calor, aër externus in cubiculum, stragulis ex parte amotis, liberè admittendus.

Omnia

Omnia quæcunque collum et ejus vasa comprimere queant, statìm dejicere oportet.

Vesicatoria capiti, capillitio abraso, vel nuchæ, sunt admovenda.

Cathartica acria, si facultas manserit deglutiendi, ore assumenda, propriisque intervallis repetenda sunt. Hæc, quòd intestina excitant, sanguinem in has partes alliciunt, undè vasa capitis minùs opprimuntur.

Eodem cum exitu, cataplasmata sinapeos ad inferiora plurimùm prosint.

Enemata ex oleo succini, aloë et jalapio constantia, frequentèr injicere licet.

Stimuli

Stimuli qui totum genus nervosum afficiunt, quàm maximè prohibentur *.

Opium a nonnullis † in hoc morbo commendatum fuit; si verò mens me rectè moneat, nocet, quamobrem omninò rejiciendum.

Emetica,

---

* "It has been usual with practitioners, together with the remedies already mentioned, to employ stimulants of various kinds; but I am disposed to think them generally hurtful; and they must be so, wherever the fulness of the vessels, and the impetus of the blood in these is to be diminished. Upon this principle, it is therefore agreed, that stimulants are absolutely improper in what is supposed to be a sanguine apoplexy; but they are commonly supposed to be proper in the ſerous. If, however, we be right in alleging, that this also commonly depends upon a plethoric state of the blood-vessels of the brain, stimulants must be equally improper in the one case as in the other."

CULLEN, vol. ii. p. 90.

† Vide KIRKLAND.

Emetica, quòd sanguinem ad caput determinant, in plerisque periculosa sunt; si verò paroxysmus magnâ ex distentione ventriculi oriatur, idonea sint; priusquam tamen adhibeantur, sanguinis ex arteriâ temporali parca detractio juvat: hoc enim prætermisso, ex actione vomitûs morbus gravior fieri possit *.

Ex

* Sententiæ BURSERII de Emeticorum Usu, sic se habent. "Præterea nemo sanæ mentis negabit periculosum maximè esse emeticum propinare, vomitum ciere, in eâ apoplexiâ quam vasa ceberi aut præter modum sanguine distenta, aut rupta aut corrosa effecerint. Quis enim non videat vomitu sanguinem uberiùs validiùsque ad caput propelli, ejusque inde refluxum impediri; sic ut vasa ipsa magis magisque turgescant, ruptionemque si fortè adhuc illæsa essent, faciliùs citiùsque subeant? si verò jam dilacerata sint, ampliore facto vulnere, copiosiorem sanguinem effundant," &c.

Vol. iii. p. 107. Lipsiæ, 1787.

Ex innumeris equidem exemplis, quæ vel infausta vel fausta fuerint, prout sanguinis emissio neglecta vel perfecta fuerit, patet, hanc, remedium esse maximè necessarium, et quo omisso, omnia alia minimè valent.

Ad hoc illustrandum, de casu viri generosi qui per duodecim horarum spatium apoplexiâ sævè vexatus fuit, suspensis frequentèr respiratione et arteriarum pulsu, mentionem facere liceat. Status quidèm ejus, spei omninò fuit expers. Effectus verò, arteriâ sectâ temporali, mirabilis et ferè repentinus. Brevi jam tempore elapso, oculos aperiit, et dixit, ei esse sensum gravissimi ponderis, lapidis quasi molaris ex ejus collo amoti, et tanquàm in montis declivitatem, capite deorsùm pendente, anteà incubuisset. Cathartica, decoctum *senekæ*, doses parvæ submuriatis hydrargyri et scillæ maritimæ, medicamenta fuerunt præcipua: sanguinis detractio ad viginti circiter uncias cum quinque.

Cùm

Cùm paroxysmus sic se feliciter absolvit, leges quæ in prophylaxi recensentur strictè observandæ sunt.

De *apoplexiâ hydrocephalicâ*, quòd infantes plerumque adoritur, causasque etiam diversas agnoscit, nil agitandum est.

Si hic morbus, corpori, diathesi hydropicâ affecto, superveniat, cathartica et diuretica maximè prosunt: et cùm ferè semper talibus exemplis magna adest debilitas, sanguis rarò si unquam emitti debet.

Apoplexia ex inhalatione vaporum veneniferorum, vel ex venenis in ventriculum acceptis, ortum habens, stimulantibus, præmissis sanguinis detractione et catharticis, benè tractatur.

Si venenum nuper devoratum fuerit, et signa apoplexiam indicantia nondùm apparuerint,

emeticum

emeticum administrare oportet; si verò effectus veneni cùm medicus advenerit, planè indicantur, tunc equidem non proderit.

His omnibus frustrà tentatis, talia remedia admovenda sunt, qualia ad eliciendam vitæ flammam hominum in aquâ immersorum; et etiamsi non ampliùs maneant signa vitæ vel mentis sibi consciæ, ad hæc semper accurrendum est, priusquàm scintilla, nunc languida, penitùs extinguatur.

Hâc jam Dissertatione ad finem perductâ, solummodò restat, ut erga viros quosdam generosos animum perquam gratum hìc palàm profitear.—Imprimis ARCHIBALDO GEDDES, apud *Leith*, Armigero, ob plurima beneficia, amicitiæque documenta quibus me dignatus est dum per triennium in Scotiâ studiis incumbebam,

cumbebam, et e cujus sermone societateque tempus jucundissimè conterebam :—necnon Professoribus Medicis doctissimis, in hâc Academiâ, quorum prælectiones maximâ cum voluptate, et, ut spero, haud sine fructu, audivi :—necnon Medicis et Chirurgis solertissimis Nosocomii Publici quod apud *Liverpool* est, a quibus, dum ibi loci per quadriennium manebam, multum, de re medicâ, commodi derivâsse agnosco. Procul absit ut silentio prætercam Gulielmum Gresley, in hâc institutione *chirurgum domesticum*, a quo beneficia equidem innumera, amicitiæque quàm verissimæ indicia, per plurimos jam annos, accepi ;—nec te, amicissime Gresley, me unquam meminisse pigebit.

